



In P. g. i. nam. 8
1764, 37.

13

VINDICIAE

L. I. §. I. D. de Iustitia et Iure

QV A S

AVCTORITATE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

P R A E S I D E

GEORG. STEPH. WIESANDIO

PHILOSOPH. ET IVRISPRVD. DOCTOR. SVPREM.
CVR. LIPS. ADVOCAT. SOCIETAT. LITTER.
DVISVVRG. ET LATIN. IENENS. SODAL.

D. 4.

DIE III. MAII A. S. R. CIOICCLXIII.

H. L. Q. S.

DATVRS EST

IO. FRIDER. SAXIVS

LEVCOPETRENS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



VINDICIAE

L. J. S. A. D. de Iustitia et Jure

1748

AVCTORITATE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

P R A E S I D E

GEORG. STEPH. WISSANDIO

PHILOSOPHI ET HISTORICI DOCTORIS SUPREMI
CIVIS ET ADVOCATI SOCIETATIS MIETRE
L. J. S. A. D. DE IUSTITIA ET JURE

KÖNIGLICHES
UNIVERSITÄT
ZVHALLE

DATVS EST

IO. FRID. R. SAXIVS

L. J. S. A. D.

EX OFFICINA LANGENHEIMIA

KÖNIGLICHES
UNIVERSITÄT
ZVHALLE



AMPLISSIMO CONSULTISSIMO
EXCELLENTISSIMOQVE

DOMINO

CHRISTIAN. FRIDER.
MEYERO

SERENISSIMI DVCIS SAXO-QUERFVRTENSIS
ET WEISSENFELSSENSIS OLIM COMMISSARIO
PROVINCIALI ET PRACTICO IVRIS
EMERITO

AVO SVO HONORATISSIMO

HANC DISSERTATIONEM
PIA MENTE CONSECRAT

OBEDIENTISSIMVS NEPOS
QVI EAM DEFENSVRVS EST.

AMPLISSIMO CONSULESSIMO
EXCELLENTISSIMOQUE
DOMINO
CHRISTIAN ERIDER.
MEYERO

SEPTISSIMO DUCIS SAXO QUARTISSIMO
ET WISSENSIBERISSIMO OLIM COMMISSARIO
PROVINCIALI ET PRACTICO IURIS
FISICATO

AVO SVO HONORATISSIMO
HANC DISSERTATIONEM
SUA MANU CONSECRAT

ORDINARISSIMO IURIS
QUI SANCTISSIMUS EST



Quas hic vides, amplissime Domine, pagellas, ab amore ab animoque grato profectas, scito. Haud immemor innumerabilium benefactorum, quae iam a cunis mihi largitus es, id praesertim nomen *TVVM* mihi venerabile reddit, quod *TV*, paterno amore commotus, per trium, quod in academia contriui annorum spatium, me tanto amore, tanta benevolentia, tanta denique liberalitate cumulaueris, vt a patre ipso plura exspectare nefas esset. Mibimetipsi gratulor, quod in *TE* inuenerim fontem futurae incolomitatis. At, quomodo summam curam, quam mihi (sed non solum mihi, nam quibuscunque eam tribuere soles) adhibuisti, remunerer? Quod si vero omnia silentio praeteream, et ingratum, et vituperandum testificarer animum. Qua de caussa non possum non publice *TIBI* declarare gratum istum animum, cuius sempiternum monumentum exstruendum ratus, praesentem, quam vindicandam in me suscipio, dissertationem splendidissimo nomini *TVO*

*consecro, et confido fore, vt in bonam accipias par-
tem conatum meum.*

*Seruet TE summa prouidentia! Seruet, vt ve-
neranda TVA senectus per longam annorum seriem
incolumis vigeat! Seruet, vt omnem gentem in sa-
lute reipublicae per diuturnum temporis spatium
saluam et prospera fortuna florentem videas!
Ita vale*

AMPLISSIMO NOMINI TVO

Scripti

Lipsiae die XXX. April.

MDCCCLXIII.

**OBEDIENTISSIMVS NEPOS
IOANNES FRIDERICVS SAXIVS.**



Semper ii iustis celebrantur laudibus, qui omne ingenium studiumque suum ad ius civile populi Romani recte explicandum luculenterque illustrandum contulerunt, propterea quod illud non modo infinitam vim doctrinae elegantissimae contineat, verum etiam ipsius aequitatis prudentiaeque veram rationem ostendat. Sive enim quis orationis pulchritudine delectatur, omnes dicendi venteres in eo orate copioseque expressas reperiet, siue rerum grauitatem consequatur, earum quoque fructuosam sapientiam admirabitur. Ipsa quidem dictionis varietas pulcherrimis floribus adpersa, acutisque sententiis distincta, mirifica voluptate animum afficit. Modo enim priscam vetustatis imaginem in legibus regis agnoscimus, modo venerandas iuris decemuiralis legere videmur tabulas, modo praetores iusta edicta recitantes, modo principes saluberrimarum legum latores adspicimus. Hinc antiquissima tempora animo repetentes in ciuitatem Romanam quasi redimus, et tamquam curiosi spectatores templa, curiam, forum ceteraque loca celebriora ingredimur, vt, quicquid publice priuatimque geritur, ibi adiscamus. In primis vero iuuat eorum, quorum dispersae sententiae in pandecten congestae sunt, magna profecto ingenia diligenter contemplari, atque adcuratum iudicium *Vlpiani, Pauli et Papiniani* subtile acumen, *Alfeni et Q. Mucii Scaeuolae* gratam in dicendo venustatem, aliorumque praestantissimas virtutes admirari. Quae cum ita sint, non est mirum, quod tot tamque egregii viri iuris Romani praestantia capti, totum vitae tempus in eo interpretando consumserint suaeque nomina hoc ipso, editis simul doctrinae variae monumentis, immortalitati commendauerint. Quorum in numero praecipue laudamus *Alciatum, Anton. Augustinum, Bachium, Balduinum, Brissonium, Brummerum, Bynckersboeckium, Contium, Ian. a Costa, Cuiacium, Donellum, Duarenum, Petri. Fabrum, Jac. Gothofredum, Hambergerum, Heinoccium, Io. Guil. Hoffmannum, Hottomannum, Menagium, Mercerium, Noodrium, Racuardum, Rittershusium, Schultingium, Io. Strauchium, Waterium, Wielingium,*



et alios, qui adhuc nostra aetate docendo et scribendo iurisprudentiae Romanae gloriam acriter tuentur. Hi omnes rectam viam, qua ad veram iuris antiqui intelligentiam eundum est, secuti sunt, legumque rationes non minus ac sensus ex historia, antiquitatibus praevisque auctoribus eruerunt. Quorum vestigia cum presso pede sequatur is, sub cuius auspiciis nunc certare audeo, constituit vindicias dare multis, quae digestis insunt, legibus, quas interpretum calumniae valde deprauarunt. Qua in re hasce obseruabit regulas, vt ex fontibus puris, non vero ex turbatis riuulis interpretationes hauriat, leges diligenter inter se conferat, earum causas studiose exquirat, auctores veteres in consilium adhibeat, verasque legum notiones patefaciat. Cum igitur, eo auctore ac duce, ego nunc primum specimen ad *L. i. §. i. D. de iussit. et iur. meae* qualiscunque industriae proponere cupio, confido fore, vt boni rerum censores hoc studium bonam in partem interpretentur, atque illud aequis iudiciis et ex-citent, et exornent.

Laudatur cura veterum inquirendi in rerum nomina.

Antequam vero ad eam, quam interpretandam sumimus, legem accedimus, non erit iniquum, aut a proposito alienum, laudare eam curam, quam veteres in originibus verborum inuestigandis ponere solebant. Quomodo enim rem aliquam intelligere possumus, cuius ne nomen quidem nobis cognitum est? Erit igitur hoc primum omnis interpretis officium, vt verbi originem eiusque potestatem exquirat. Quod prae ceteris olim obseruasse videntur iureconsulti, quo eo facilius subiectas materias explicarent. Recte enim *Quintilianus L. I. institut. orator. c. 9.* de originatione, haec, inquit, *habet aliquando vsus necessarium, quoties interpretatione res, de qua quaeritur, eget - - - ideoque in definitionibus assignatur etymologiae locus.* Ita *Modestinus L. 4. §. i. D. de gradib. et adfin.* operae pretium credit inquirere, vnde cognati dicantur: *cognati ab eo dici putantur, quod quasi vna communiterue nati, vel ab eodem orti progenitiue sint.* Paullus vero in *L. i. D. de adquirend. vel amittend. possess.* possessionem quasi positionem dici existimat. Idem tutores quasi tuitores in *L. i. D. de tutel.* adpellari ait. Ex verbi scilicet origine eius simul potestatem ambitumque diiudicari posse, non temere statuerunt. Inde laudatus Paullus in *L. i. D. de fid. instrumentor.* omnia ea instrumentorum nomine comprehendit, quibus causa instrui potest. Plures nominare nunc non necessarium videretur, cum *Vipianus* nobis ante oculos versetur, qui id vbiuis primum agit, vt verborum primos



primos quasi fontes aperiat. Paucis exemplis hoc confirmabimus. Pactum a pactione dici, in *L. 1. D. de pact. contendit*. Infitorem ab eo adpellari, quod negotio gerendo instet, in *L. 3. D. de infitor. action. dicitur*. Pari diligentia in *L. 1. D. de testam. milit.* scrutatur, unde milites et exercitus nomina acceperint. Hanc igitur curam in ea, quae in praesenti explicanda erit, lege pariter adhibuit, praesertim cum haec ex institutionibus iuuentuti accuratius instituendae accommodatis, decepta sit.

Vnde ius adpelleitur, inquiritur.

Iam animum ad ipsa legis verba referimus, quae ita se habent: *iuri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen iuris descendat. Est autem a iustitia adpellatum, nam ut eleganter Celsus definit, ius est ars boni et aequi.* Ius hic pro arte accipitur, ita ut hoc *Vlpiani* consilium ad adolescentes iuris discendi cupidos maxime pertinere videatur. Hos serio admonet, ut primum, unde nomen iuris ducatur, sedulo inuestigent eaque ratione ipsum ius distinctius perspiciant. Deriuat vero ius ab ipsa iustitia, rationibus quidem idoneis adductus. Non enim partes grammatici agit *Vlpianus* in origine verbi legitime declaranda, cum nemo adeo ignarus sit, quin potius iustitiam a iure dictam esse sciat, sed potius more communi eam originem indicat, a qua simul notio ipsius rei nata esse videtur. Cum enim hic ius tamquam artem certis regulis comprehensam consideret, apte profecto illud a scopo, ad quem consequendum spectat, nomen obtinuisse statuit, ut bene observauit ad hunc locum *Gerard. Noodtius*. Cui enim bono omnis ars iusti inseruit, nisi iustitiae publice priuatimque in omnibus negotiis persequendae? Non igitur est, quod nonnulli *Vlpianum* erroris arguere rei-que grammaticae ignoracionem obiicere voluerint, virum omnis certe elegantiae apparatu longe instructissimum. Sed copiosius contra hos disputare, aut eos nominatim recensere, instituti breuitas vetat. Ad alia igitur pergamus.

Ius est ars boni et aequi.

Cur vero ius a iustitia ducendum sit, *Vlpianus* mox exponit, quoniam scilicet ea docet, quae ipsa iustitia praecipit. Mirabuntur forsitan nonnulli, cur hic iureconsultus ad auctoritatem *Celsi* prouocet,

B

cum



cum tamen res ipsa tam clara sit, vt nullo lumine egeat. Sed hi velim considerent, antiquitus eum morem studiosè in primis a iureconsultis fuisse obseruatum, vt vnus alterius sententiam lubenter referret, etiam tunc, cum nulla necessitas cogeret, sola vero humanitas id suaderet. Raro enim id animo errorum vituperandorum, crebrius vero obseruantiae testificandae causa fecerunt, vt et aliquam auctoritatem suis sententiis conciliarent, et gratam modestiam proderent. Hinc *Vlpianus* modo *Cassii*, *Pomponii* et *Labeonis* mentionem iniicit, modo *Neratii*, *Aristonis* et *Iuliani* doctrinam laudat, modo ad *Marcellii* et *Papiniani* auctoritatem confugit. Quanti vero *Celsum* fecerit vel ex eo adparet, quod plurimis in locis eum honorificentissime nominet, vt in *L. 8. §. 2. D. de in ius vocand. L. 5. §. 15. D. commodat. vel contr. L. 2. §. 3. D. de religiof. et sumtib. funer. L. 19. §. 3. D. de aur. argent.* et alibi. Nunc vero *Celsum* breuitatis elegantiaeque causa aduocat, qui pulcherrimam iuris notionem effingit. Quicquid enim ad beate viuendum pertinet, id omne arte boni et aequi continetur. Bonum hic idem est ac iustum, cuius vim *Cicero de offic. L. 1. c. 6.* ita explicat: *iustitiae primum munus est, vt ne cui quis noceat nisi lacestus iniuria, deinde vt communiibus pro communiibus utatur, priuatis vt suis.* Vir igitur bonus omnibus, quae et sibi et aliis profutura sunt, facit, ita, vt maius commodum minori semper anteponat. Nunquam sua solum commoda curabit, sed vtilitatem aliorum cum sua arctissime ipsa natura coniungi, existimabit. De hoc igitur valebit maxime illud *Ciceronis*, cuius auctoritate lubenter vtimur, *L. 3. c. 19. de offic: imo intelligat, nihil nec expedire, nec vtile esse, quod sit iniustum. Hoc qui non didicerit, bonus esse non poterit.* Hoc vero bonum vt in animo et voluntate hominis est positum, ita ab ipsa natura proficitur. Fit enim saepius, vt ius ciuile aliquid permittat, quod tamen vtilitati naturali parum conuenit. Quod cum perspicerent iureconsulti, ipsi profecto in eo naturae maxime obtemperandum esse censuerunt. Hinc in *L. 24. §. 1. D.* aequè admodum dicitur: *non semper autem ea, quae cum minoribus geruntur, rescindenda sunt, sed ad bonum et aequum redigenda sunt, ne magno incommodo huius aetatis homines adficiantur, nemine cum his contrabente.* Huic vero bono coniuncta est aequitas, quam vtinam recentiores non adeo male tractassent! Multi enim in eum errorem inciderunt, ac si aequitas a iustitia plane abhorreret, cum tamen eius perfecta imago sine hac parte omnino necessaria, nulla pacto exprimi queat. Si enim totum iustitiae ambitum describere volumus, aequi-



aequitatem simul eadem complectimur. Hoc enim probe est obseruandum, quod hic iustitia naturalis, quae non angustis certarum gentium finibus terminatur, sed per omnes totius terrarum orbis populos vagatur, pro ea ac decet praestantia exprimitur, in qua vero semper inest aequitas. Huius igitur vim paullo accuratius explicemus.

Aequitatis vis demonstratur.

Ius scilicet strictum multa constituit, quae a prima hominum aequalitate longe abeunt, aliisque aliquid incommodi afferunt. Hinc tot de iure acerbo eademque veteres querelae. Aequitas contra rigorem istum mitigat, tristitiam ex inaequali iure ortam lenit, omniaque humanitate temperat, ita vt *Cuiacius*, praeclarus definitionum magister, eleganter eandem iuris stricti inflexionem dicat. Sectatur ea ius acquabile, et non modo damna cauet, sed etiam iucunda humanitatis officia praestat. *Cicero de offic. L. 1. c. 34.* Multa iure ciuili permittuntur, quae tamen facere haud sinit aequitas. Hanc igitur iureconsulti tunc maxime persequendam esse arbitrantur, vt ex *L. 1. §. 3. D. de pericul. et commod. rei vend.* constat. Permissum est ibi venditori vini, qui diem ad meriendum praefiniit, idque emtori indicauit, illud effundere. Sed *Ulpianus* aequitatis defensor acerrimus, eum laudat, qui cum posset vinum effundere, id non effudit. Promissorem teneri ad id seruandum, quod promisit, est certissimum vniuersi iuris praeceptum. Nihilominus tamen moram oblatione purgari posse, *Celsus* existimauit, cui assensus est *Paulus in L. 91. §. 3. D. de V. O.* Quin ipsis regulis iuris, quae quidem communi iureconsultorum consensu olim receptae fuerunt, aequitas summo opere commendatur. Ita enim praeceptum est in *L. 90. de R. 1. in omnibus quidem, maxime tamen in iure aequitas spectanda sit.* Haec sunt in causa, cur iustitia a *Cicerone* olim per aequitatem definita fuerit *L. 3. ad Herennium c. 2.* his verbis: *iustitia est aequitas, ius vnicuique tribuens pro dignitate cuiusque.* In *Topicis* vero *c. 2.* haec habet: *ius ciuile est aequitas constituta iis, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obeundas.* Est vero haec aequitas vberissima mater commodorum plane insignium, quae inprimis in homines aetate infirmos, vicio imbecillitatis laborantes, aut aliqua calamitate afflictos opibusque destitutos redundat. Hac freti olim praetores prisca iuris asperitatem correxerunt suisque edictis magnam gratiam conciliarunt, actionibus in supplementum iuris ciuilibus vtiliter repertis, quod actio exercitoria atque institoria satis probant.



Iureconfulti sunt sacerdotes iustitiae.

Progedimur alacri et laeto animo ad praeclarum plane locum, qui omnibus iurisprudendiae deditis merito debet esse gratissimus. Iam enim *Vlpianus* dignitatem sacrosanctam eius muneris, quod veri sustinent iureconfulti, testimonio valde honorifico exornat his quidem verbis: *huius merito quis nos sacerdotes adpellet. Iustitiam namque colimus: et aequi et boni notitiam profitemur: aequum ab iniquo separantes: licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu poenarum, verum etiam praeciorum quoque exhortatione efficere cupientes: veram, nisi fallor, philosophiam, non simulatam affectantes.* Respicit hic iureconfultus ad iustitiam, quam tamquam virginem a Ioue procreatam, superstitionosa coluit antiquitas. Ita enim *Hesiodus in oper. et dieb. v. 254:*

Ἡ δὲ τε παρθένος ἐστὶ Διώνη, Διὸς ἐκγεγενηία,

Κυδνὴ τ' αἰδοίη τε θεοῖς, οἱ ἄλυμπον ἔχουσι.

Iustitia at virgo Iouis est de semine nata,

Praeclara et veneranda diis, habitantibus astra.

Eam vero in templo marmoreo a Romanis fuisse locatam, ex *Quintio de Ponto L. 3. ep. 6. v. 25.* adparet. Ad huius igitur sacra *Vlpianus* in lege nostra mentem retulisse videtur, etsi id multis ex causis negare voluit *Dom. Bricber. Columbus in dissertat. de iustit. et iure. section. 1. §. 11. seqq.* Sed etsi multa argumenta vir longe doctissimus congescit, ut probaret. Deam illam a virtute humana non fuisse diuersam, tamen multo labore parum vel nihil plane probavit. Nemo enim negat, omnes Deos deasque esse ficticios, plebemque splendidis fictionibus turpiter fuisse deceptam, ex eo tamen non efficitur, eos ideo non fuisse culto diuino honoratos. Ipse necit subtiles nodos, quos vero magis implicat, quam soluit. *Festus* certe sub voce *Themis*, hanc tamquam Deam repraesentat. Non nego quidem, non incommodum sensum tribui legi, si quis credat, *Vlpianum* verbis ornatioribus a culto diuino translatis usum fuisse. Veteres enim hunc ornatum crebrius adhibuerunt. *Pythagoras in carm. aur. v. 2.* monet, ut iusiurandum veneremur, quae quidem dictio rei grauitatem et sanctitatem pulchre significat. *Quintilianus L. 12. c. 11.* eum, qui artes docet, hominem secretum et consecratum adpellat. Ipse vero *Iustinianus* impiae superstitioni maxime infensus, in *C. de veter. iur. enucl. §. 5.* profiteretur, se quasi sanctissimum templum iustitiae consecraturum,



turum, quem locum si recordatus fuisset nominatus antea *Columbus*, profecto non scripsisset, vel ideo *Vlpianum* non de *Dea* interpretandum, quoniam *Iustinianus*, eiusmodi superstitionem nullo modo in *Digesta* inferri fuisset. Sed non credo, copiosius rem satis claram esse probandam, praesertim cum *illustr. Carol. Ferdin. Hommelius*, sacrosanctus iustitiae sacerdos optimusque vniuersi iuris interpret, in *iurisprud. numismatib. illustrata* L. 1. monum. 1. et 2. eam, quam proposuimus sententiam, suo more, hoc est doctissime confirmauerit, ad quem omnes harum rerum cupidos merito ablegamus.

Officia iureconsultorum praecipua.

Vindicauimus igitur sanctam iureconsultorum dignitatem, quos *Themidos* sacra pie casteque venerari decet. Iam singulas partes eius muneris explicemus. Non immorabimur amplius ei notitiae, quam iureconsultus in lege nostra de aequo et bono profitetur. Laetamur potius iis, quae mox consequuntur, verbis, dignis profecto, quae et iudices et aduocati menti altissime infigant. Est enim hoc praecipuum iureconsulti munus, vt aequum ab iniquo, licitum ab illicito cum summa cura discernat, ne harum rerum confusione et sibi et aliis noceat. Debet enim totum vniuersi iuris ambitum animo complecti, atque omnia principum iussa ad regulam naturalis aequitatis exigere. Nihil certe vitae humanae potest contingere vtilius, quam humana aequitatis observatio, nihil contra tristius, quam iuris iniqui studium. Illa omnibus prodest, hoc contra permultis saepe nocet. Ipsi veteres iureconsulti suis exemplis hac in re praecuerunt, atque humaniores sententias durioribus longe antetulerunt. *Vlpianus*, qui praeclare ad edicta praetorum commentatus est, primam semper laudem ab aequitate repetit. *L. 1. D. de pact. et L. 1. D. de minor. viginti quing. ann.* Infinita vero exempla ius Romanum exhibet aequitatis iuri stricto antepositae. Vt alia omittamus, vnicum duntaxat ex *L. 31. ff. 1. D. deposit. afferamus.* Ibi *Tryphonius* hanc speciem proponit: *latro spolia, quae mihi abstulit, posuit apud Seium inscium de malitia deponentis, vtrum latroni an mihi restituere Seius debeat. Si per se dantem accipientemque intuemur, haec est bona fides, vt commissam rem accipiat is, qui dedit. Si totius rei aequitatem, quae ex omnibus personis, quae negotio isto continguntur, impletur, mihi reddenda sunt, quae facto scelestissimo adempta sunt, et probò, hanc esse iustitiam, quae suum cuique tribuit, vt non distrabatur ab vllius*



personae iustiore repetitione. Bene autem fecit *Vlpianus*, quod duplex officium hic iureconsulto imponat, vnum, vt aequum ab iniquo, alterum, vt licitum ab illicito separet. Licet nonnulla secundum ius civile facere, quae tamen improbat aequitas. Quae olim potestas marito in vxorem, patri in liberos, domino in seruos concessa fuerit, omnes, qui primis labris legitimam scientiam degustarunt, probe sciunt. Sed, quicquid alii nimio fortassis amore iuris Romani, cuius tamen praestantiam ipsi agnoscimus, commoti, pro hac macula iniquitatis abstergenda attulerunt, non tamen ideo hoc vitium, quod ipsi praetores satis intellexisse videntur, plane purgarunt. At quid profunt omnes querelae? Definamus igitur queri cursumque institutum celeriter persequamur.

*Iurisprudentia philosophiae verae non simulatae
magistra.*

Bonos viros efficere cupit iurisprudentia, quod, quomodo fiat, breuiter ostenditur. Malitiam scilicet poenarum metus coercet, virtutem vero bene merentem praemiis liberaliter ornat. De poenis filere quam pauca dicere praestat. Est enim hic locus longe vberimus, quem viri praestantissimi in amplissimis commentariis latius tractarunt. Nec erit invidiosum hic fures et latrones persequi, prehendere adulteros, accusare publicae quietis turbatores. Iucundius contra erit, grata contemplari praemia bene meritis tribui solita. Huc vero spectant omnes honores, et munera, ad quae per virtutes ascenditur, magistratus maiores et minores, dignitates militares et urbanae. Qua quidem in re populus Romanus immortalem gloriam sibi peperit, a quo fortitudo, fides et castitas diu cultae egregiisque honoribus celebratae sunt. Exempla prodidit *Liuius L. 2. c. 13. L. 4. c. 17.* iisque antiqui auctores fere omnes abundant. Habebant hunc artium doctores honorem, vt eos a muneribus onerosis atque infra eorum dignitatem quasi positos, immunes declararent. Omnes vero, qui de re publica factis laudabilioribus bene mereri studebant, exoptatissima praemia consequerantur. Qui enim labores militiae diu tolerauerant, omneque periculum vitae militaris subierant, ii honesta missione recreati, a muneribus personalibus habebant vacationem. Vide *Tit. D. de veteran. et L. 7. D. de vacat.* Quae praeterea beneficia innocentiae tributa fuerint, quas exceptiones bonae fidei possessoribus praeteres suggererint, nemo nescit. Nihil dicam de priuilegiis, quo-
rum




rum tamen multa eademque splendidissima viris bonis ius civile lubenter concessit. Quod vero *Vipianus* dicit, iureconsultos praemiis alios ad virtutis laudem persequendam inuitare, id nisi ex ipsis legibus cognosceretur, vel ex eo pateret, quod ii virtutis honestatisque studium, a quo certissima proficiscuntur praemia, vbique cum multa cura commendauerint. Ius enim honeste viuere praecipit *L. 10. h. t.*, quia respublica honestatis studio tamquam firmissimo fundamento optime sustentatur. Nunc instituto nostro vnice inseruendum, atque splendor verae non simulatae philosophiae considerandus est. Vera philosophia liberalem habet faciem. Non amat luxuriam, at respuit quoque sordes. Non horret labores et molestias, at non sectatur vitam negotiosam, quae multa agendo parum vel nihil agit. Non ambit precibus viisque nefariis periculosa saepe munera, at nec in turpi vmbra delitescit. Haec vtilitatem priuatam cum publica coniungere vitamque officiis inuis beare docet. Hanc vero solam a iureconsultis affectari, noster ait *Vipianus*. Videtur nobis hic ad eos potissimum respectuisse, qui toto corporis habitu philosophum simulabant, re vero ipsa non probabant. Quos acute perstringit *Herodes Atticus* apud *Gellium* *L. 9. 2.* ad quem cum quidam palliatus et crinitus accessisset, atque interrogatus, quisnam esset, se philosophum esse dixisset, iste respondit: *barbam et pallium video, philosophum non video.* Adde *L. 10. c. 22.* De quibus etiam potest adhiberi illud, quod *Quintilianus* *L. 12. c. 3.* hunc in modum dicit: *verum ea, quae de moribus excelsis, studioque iuris praecipimus, ne quis eo credat reprehendenda, quod multos cognouimus, qui taedio laboris, quem ferre eudentibus ad eloquentiam necesse est, confugerint vel haec diuerticula desidia, quorum alii se ad album ac rubricas transtulerunt, et formularii, vel ut Cicero ait, leguleii quidem esse mauerunt, tamquam utiliora eligentes ea quorum solam facilitatem sequebantur, alii pigritiae arrogantioris, qui subito fronte conficta, in ipsaque barba velut despexissent oratoria praecepta, paullum aliquid sederunt in scholis philosophorum, ut deinde in publico tristes, domi dissoluti, captarent auctoritatem contemptu ceterorum. Philosophia enim simulari potest, eloquentia non potest.* Veri autem philosophi vitam suis praeceptis conuenientem agere debent, quos quomodo probare velit *L. 8. §. 4. D. de vacat.* non ingratum erit percipere. Haec vero habet: *vere philosophantes pecuniam contemnunt, cuius retinendae cupidine fictam adseuerationem detegunt.* Hinc parum quoque iureconsultis placuit



placuit otiosa *Epicuri* philosophia, quae sapientem a negotiis publicis plane auocabat, vtilitatesque priuatas vnice sectabatur, vt ideo *Cicero* in *epist. ad diuers. L. 7. ep. 12. Trebatium*, qui in *Epicuri* castra transferat, merito acute vituperauerit. Nec Cynicorum impura doctrina cum verecundia iuris ciuilibus consistere poterat, quod philosophiam veram hoc est et dignitati hominis consentaneam, et reipublicae feliciter regendae conseruandaeque accomodatam, vbiuis studiose commendat.

Conclusio.

Sed ne modum praescriptum egredi, patientiaque lectorum abuti videamur, iam erit noster libellus hic finiendus. Vindicauimus honorem venerandae iustitiae verumque sensum nonnullorum erroribus misere corruptum, suo auctori restituere laborauimus. Speramus igitur, ipsa causae bonitate freti, nostrum studium aequis arbitris haud iri improbatum. Vti vero in posterum maximam daturi sumus operam, vt aliquid aliis profuisse videamur, ita simul sancte spondemus, nos eorum, qui nostram industriam iucundis adhortationibus excitabunt, beneuolentiam, magni esse facturos, nec villo pacto eandem violaturos. Hac promissione bono animo facta, nostros lectores dimittimus, atque vt suas res semper feliciter agant, ex animo optamus.



Leipzig, Diss., 1764



f
TA 30L

nur 31. Stück bisher verknüpft

VD 18





13

In P. g. l. n. m. 8
~~1764~~
1764, 37.

VINDICIAE
L. I. §. I. D. de Iustitia et Iure
Q V A S
A V C T O R I T A T E
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S
P R A E S I D E
G E O R G . S T E P H . W I E S A N D I O

S. H.

PHILOSOPH. ET IVRISPRVD. DOCTOR. SVPREM.
CVR. LIPS. ADVOCAT. SOCIETAT. LITTER.
DVISVVRG. ET LATIN. IENENS. SODAL.

DIE III. MAII A. S. R. C I D I D C C L X I I I I I .

H. L. Q. S.

D A T V R V S E S T
I O . F R I D E R . S A X I V S
L E V C O P E T R E N S .

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .

